

TRACTATUS

DE COGNITIONE DEI

CAPUT. I.

Utilis rerum Divinarum commentatio.

De cognitione Dei tractare incipiam, primo, quia Scriptura passim hortatur nos ut quæramus Deum: *Querite*, inquit, *Deum, et vivet anima vestra: Querite faciem ejus semper* (1): *Querite Dominum, dum inveniri potest* (2): *Bonus est Dominus sperantibus in se, anime quærent illum* (3).

Deinde quia sancti id fecerunt. S. Augustinus in confessionibus suis dicit (4), se toto tempore, quo non cogebatur intendere negotiis, vacare solum contemplationi, quo conferret Deum cum creaturis: et videbat Deum esse altiozem et meliorem omnibus. Et alio loco (5) monet vacandum esse contemplationi; et solum propter necessitatem proximi vacandum actioni. « Otium, inquit, sanctum quærît charitas veritatis: negotium justum suscipit necessitas charitatis: sed nec sic omnimodo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur ista suavitas, et opprimat ista necessitas ». Explicat exemplo ejus, qui fert onus et non comedit, nec dormit. Idem monet Gregorius in Pastoralibus, ubi dicit, debere esse pastorem contemplatione suspensum. Et Bernardus, qui in libro I. de considerat., monet aliter si fiat, perveniri ad cor durum. S. Bonaventura fecit itinerarium mentis in Deum, etc.

Tertio, quia hoc utile est ad excitandum amorem et timorem Dei. Item ad liberandum cor ab amore et timore rerum temporalium. Denique ad reverentiam et devotionem mysteriorum Christi, quæ toto anno celebramus; ut Incarnationis, Nativitatis, et præsertim sancti Altaris.

Quarto, ut aliqui rudiores habeant materiam meditando. Ideo omnia reduci possunt ad illa quatuor, quæ ponuntur in Epistola ad Ephesios cap. III. *Ut possitis*, inquit Apostolus, *comprehendere quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum*. Applicavi hæc nuper gloria celesti, et penis inferni; alias passioni Christi: nunc divinitati applicabo, postea attributis ejus.

Magnitudo ergo divine Essentia cognoscitur ex eo, quod est infinita in latitudine, quia immensa: in longitudine, quia æterna: in sublimitate, quia nobilissima: in profunditate, quia simplicissima et incomprehensibilis.

Primo est immensa multis modis Essentia divina. In primis, quia continet in se omnes perfectiones creaturarum quæ sunt, et quæ possunt esse per Dei omnipotentiam, et adhuc plures in infinitum. Ut, si quis haberet unam rem in cubiculo, quæ contineret objecta omnium sensuum, ita ut non cuperet exire ad aliquid vivendum, vel audiendum, vel odorandum, vel gustandum, vel tangendum, et hoc non quia nau-careat, ut ægroti, sed quia vere haberet omnia illa oblectamenta. Quod si eadem res haberet tantam copiam omnium opum, quantum potest avarissimus quisque desiderare, ita ut non vellet egredi ad aliquid lucrandum: item haberet omnes dignitates, quas ambitiosissimus homo desiderare potest; item haberet omnia bona quæ Angeli desiderare possunt; nam Angeli qui plura et majora norunt, plura majora desiderant; magna profecto esset res illa, sed longe tamen inferior Deo, qui habet in se tot bona, quæ ab infinito appetitu desiderari possunt. Hinc dicitur ab Apostolo, quod in patria Deus erit omnia in

(1) Psalm. XXXIII. — (2) Psalm. CIV. — (3) Isai. LV. — (4) Lib. X, cap. 10. — (5) Eodem lib. X, Confess. cap. 13.

omnibus : quia sancti in cœlo non habent cibum, potum, vestes, pecunias, tectum : et tamen nulla re egent. In hoc etiam mundo Deus est omnia illis, qui sciunt intrare cubiculum Dei, et cum illo vivere, cuiusque amplecti. Unde B. Franciscus dicebat : « Deus meus et omnia ».

2^o Deus est immensus, quia replet omnia loca. *Cælum*, inquit, *et terram ego impleo* ; et si essent alii mundi, etiam innumerabiles, omnes Deus implet. Nec solum corpora, sed etiam spiritus Deus replet. Itaque etiam si quis duceretur in desertum quodcumque, vel in profundum maris, vel extra cælum, ubi nihil est, non tamen esset solus. Magna hinc oritur consolatio iustis, et timor injustus.

3^o Deus replet omnia non solum presentia, sed etiam gloria sua : *Pleni sunt cæli et terra gloria ejus* (1). *Domine Deus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra ! Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos*. Id est : Plena est omnis terra laude Dei, quæ etiam usque ad cælum pertingit, et supra cælum effertur. Omnes enim creaturæ Deum laudant, et sunt quasi thuribula quædam emittentia incensum Deo. Et quamvis multi blasphemant Deum, tamen ipsum quoque laudare cogentur eo modo quo opus laudat opificem suum : quia in ipsis quoque lucet mirabiliter potentia, sapientia et bonitas Dei, quia ex malis eorum elicit bona, et ordinat eos juste ad pœnam, vel misericorditer ad pœnitentiam. « Multi quidem surdi sunt, inquit Augustinus, ad has voces creaturarum, tamen ipse clamare non cessant, nec desunt aures innumerabilium Angelorum, et sanctorum qui eas attendunt. Ideo Isa. vi. duo Seraphim clamant alter ad alterum : *Plena est omnis terra gloria ejus* ; et David (2) *Cæli enarrant gloriam Dei*.

4^o Deus omnia replet dominio suo ; quia omnia possidet ut sua, et est vere solus ipse absolutus dominus omnium rerum : tum quia solus ipse nulli servit, quia a nullo pendet ; tum quia omnia ab illo pendent, et omnia pro nutu suo et voluntate potest mutare, destruere, etc., non sic domini hujus mundi etc.

Longitudo Dei est æternitas ipsius. Deus enim semper fuit et erit, et hoc sine muta-

tione et necessario, ita ut nulla ratione possit aliter esse : et in his distinguitur ab omnibus creaturis. Alia enim non semper fuerunt nec erunt, et semper mutantur. Alia semper erunt, sed non semper fuerunt et mutantur alio modo : denique omnes possunt non esse, si Deus velit. Quare Paulus rectè ait : *Qui solus habet immortalitatem* (3). Hinc sequitur summa securitas Dei, et servorum ejus, cum hoc tantum bonum nullo modo deficere possit.

Altitudo Dei est excellentia divinæ naturæ : non enim solum illa continet omnia, sed etiam continet in Esse altissimo : quo modo nimis aureus continet multos denarios. Consistit autem hæc excellentia in abstractione a materia et potentialitate : quo enim res aliqua est purior, eo est altior, ut etiam videmus in elementis. Porro solus Deus est actus purus, et ideo altissimus : ita ut Angeli non possint tam alte aspicere nisi per gratiam.

CAPUT II.

De altitudine divinæ.

Secundo, dicitur Deus altissimus, quia sedet in altissimo loco : *Cælum*, inquit, (4) *michi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum*, et Lucifer dixit (5) : *Super astra Dei exaltabo solium meum : ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*. Sedis nomen duo significat, auctoritatem Judicis et quietem. Hinc est illud Domini ad discipulos : *Sedebitis super sedes duodecim* (6). Itaque dicitur Deus in Scripturis altissimus, quia habet supremam auctoritatem leges ferendi, et judicandi. Omnes enim alii principes alieni legi subsunt, alieni superiori rationem reddere debent, et ab eorum legibus et sententiis appellatur : solus Deus ita fert leges et judicat, ut nulli subsit, et nullus ab eo appellare possit. Hinc dicitur apud Jacobum (7). *Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et salvare* ; et in Psalmo : *In medio autem Deos judicat* (8). Id est iudicis dicitur, qui in Scriptura dicuntur dii.

Hic aliquid est dicendum de felicitate amicorum Dei (9). Nam si Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet ?

Dicitur item altissimus, quia in cælis ha-

bitat, id est in justorum mentibus. *Cælum*, inquit David, *cælum cæli Domino* (1) ; et in evangelio (2) : *Pater noster qui es in cælis*. S. Augustinus per cælos in quibus Deus sedet, intelligit Angelos : in illis enim vere sedet Deus : tum quia facit eos quiescere ; cum sint uniti summo bono, nec habeant quod ulterius desiderent, tum quia in illis Deus quasi recreatur, dum familiariter cum illis agit. Sicut enim, ait Bernardus (3), rex aliquando discedit a negotiis regum, et in cubiculo cum familiaribus familiariter agit, ita etc.

Magna est hæc gloria Dei quod altissima creatura illi serviant pro sede. Neque est hoc contra illud Isaia (4) : *Super quem requiescam nisi super humilem et quietum et tremant sermones meos*. Nulli enim sunt magis familiares, quam summi Angeli, et beatæ animæ : quo enim magis cognoscunt se nihil a se habere, eo magis se humiliant coram Deo, et tremunt timore reverentia, et subjiciunt se Deo ut sedes sessori.

Est et alia altitudo Dei in quantum est prima causa efficiens, exemplaris, et finalis omnium rerum. Deus enim multa facit sine creaturis ; sed nihil creaturæ sine Deo facere possunt. Itaque est causa universalissima ; ut a summo Angelo usque ad infimum vermiculum in terra perreptantem omnia dicant (5) : *Ipsè fecit nos et non ipsi nos*.

Est item causa exemplaris omnium rerum quia omnia habent formam ex eo quod facta sunt ad exemplar sive ideam quæ erat in Deo.

Denique est finis ultimus et altissimus omnium rerum. Tandem enim omnia resolvuntur in hoc, quod facta sunt, ut in ipsis resplendeat gloria Dei (6). *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*, inquit Salomon.

Profunditas Dei in eo consistit, quod est Dei essentia intima, recondita, occulta præ omnibus rebus (7) : *Posuit tenebras latibulum suum*. Vere, inquit Is., *tu Deus absconditus* (8). S. Augustinus dicit (9), quidquid potest cogitari, id non esse Deum, cum Deus melior sit omni re visibili, imaginabili et cogitabili, etc. Quæsit S. Augustinus Deum in libr. x confessionum per omnia exteriora a terra usque

ad cælum : et cum non invenisset, intellexit non esse querendum exterius, sed interius. Itaque transit a corpore ad sensum : et vidit, sensum tanto esse meliorem corpore, quanto interiori. Transivit deinde a sensu ad intellectum, sive animam intellectivam ; et vidit illam esse intimiorem et longe meliorem, quippe quæ dat corpori sensum, vitam, speciem, motum. Inde didicit, Deum adhuc esse intimiorem et meliorem, quippe qui dat vitam animæ, et est quasi anima animæ.

Sed hinc apparet incredibilis Dei pulchritudo : nam cum sit in tam alto profundo secreti, et dicatur invisibilis, et non nisi in ænigmate cognoscatur ; tamen ita afflicti animas, ut ab eis ametur amore flagrantissimo et propter eum libeat relinquere domum, patrem, matrem, uxorem, agros, vitam ipsam, et vel in solitudinem se abdere, vel exponere se omnibus periculis. Et quid igitur fiet, quando videbitur facie ad faciem : quem amoris ignem accendat ! et quem indicibilis voluptas erit rem tam ardentem amatam secure possidere ?

Est secundo alia profunditas major. Nam illi ipsi qui Deum vident, tamen nunquam penetrare ac pertingere possunt ad fundum, cum sit incomprehensibilis, nisi ab oculo infinito. Est itaque Deus tanquam fodina quædam infinita auri, quæ nunquam exhauriri posset, tametsi infinito tempore aurum inde educeretur.

Tertia profunditas Dei est simplicitas divinæ naturæ. Non enim Deus est tantum in superficie magnus, bonus, etc., quomodo sunt statuæ deauratæ : sed totum quod in ipso est, ut statuæ aurea etc.

Quarta profunditas Dei profunditas est, quod ipse est infra omnia, quia omnia sustinet, et portat verbo virtutis suæ (10). Est enim radix et fundamentum omnium rerum, et ipse in nulla refundatur, quia est fundamentum infinite profundum.

Jam vero ut quis meditationibus proficiat, oportet querere ab anima sua, an vere sibi persuadeat esse in mundo verum Deum, tam magnum, sapientem, bonum, etc. Deinde querere, an possit ipse ad hunc Deum accedere, et illi familiaris effici. Nam si id non possit fieri, nihil movebunt istæ meditatio-

(1) Psalm. VIII. — (2) Psalm. XVIII. — (3) I Tim. VI. — (4) Isa. LXVI. — (5) Isa. XIV. — (6) Matth. XIX. — (7) Jac. IV. — (8) Psalm. LXXXI. — (9) Rom. VIII.

(1) Psalm. LXIII. — (2) Matth. VI. — (3) Bern. Serm. 23 in Cart. — (4) Isai. LXVI. — (5) Psal. XCIX. — (6) Prov. XVI — (7) Psalm. XVII. — (8) Isa. XLV. — (9) Aug. in Psalm. XXVI. — (10) Hebr. I.

nes, sicut non movent ad amorem vel timorem, qua audivimus de magnitudine regis Sinarum, et similibus. Certum autem est nos posse pervenire ad summam cum Deo familiaritatem, majorem etiam quam sit fratrum, parentum, conjugum etc. Modus autem facillimus est, vix enim aliud requiritur, quam ut vere velimus. Id docet totus liber Sapientie: nam cum multis verbis explicasset pulchritudinem, magnitudinem, divitias etc. æternæ Sapientie, et multis item dixisset se velle ostendere modum illam acquirendi, tandem nihil dicit nisi ut desideretur et quaeratur, quia sine dubio invenietur. Nonne igitur stultissimus est, qui tam facile potest invenire summum bonum, et non vult; cum pauca bona labore quaerantur, et nulla sit certitudo quod inveniantur.

Sed in particulari, modus inveniedi est, ut quis fiat cœlum: nam cœlum, ut diximus, est sedes Dei et ibi Deus quiescit, tum quia facit quiescere, tum quia familiariter agit, etc. Porro ut quis fiat cœlum, tria requiruntur. Primo, ut sit elevatus a terra, ita ut sit superior vaporibus et exhalationibus; id est amore deliciarum et honorum. Secundo, ut non turbetur a ventis et tempestatibus. Cœlum enim etsi nobis videatur aliquando turbari, tamen secus est. Tertio, ut gratis benefaciat, solum enim cœlum inter creaturas corporeas gratis benefacit illuminando, calefaciendo, influendo. Nam terra germinat quidem: sed vult iterum seminari: dat flumina, sed iterum illa recipit: aer dat pluvias sed vult vapores: ignis calefacit, sed consumit ligna etc. Itaque ut quis sit cœlum requiratur puritas, patientia, charitas. Sed omnia hæc facile habet, qui serio statuit velle invenire Deum.

CAP. III.

De attributis essentiae divinæ.

Filii, et servi, et amici libenter audiunt laudes et gloriam Patris sui, Domini, vel amici: sic nos libenter sermones audire debemus de magnitudine Dei, si veri filii, servi familiaresque ejus sumus.

Dixi de magnitudinis essentiae divinæ: nunc de attributis ejus dicam. Hæc autem sunt quatuor præcipua: potentia, sapientia, misericordia et justitia.

(1) Psalm. XXXII. — (2) Psalm. XLIV. — (3) Psalm. CXXXIV. — (4) Luc. I. — (5) Exod. XV.

Potentia, est altitudo, quia est propria principum, qui sunt aliis altiores. Sapientia, est profunditas, quia penetrat omnia, etiam occultissima. Misericordia, est latitudo, quia est diffusa per omnia: *Misericordia* (1), inquit, *Domini plena est terra*. Justitia, est longitudo, quae est instar virgæ ferreae, quæ longa est, subtilis, dura. *Virga directionis, virga regni tui* (2).

Potentia Dei habet infinitam latitudinem, longitudinem, altitudinem, et profunditatem. Latitudo potentiae in eo consistit: 1° Quod fecit et portat multitudinem innumerabilium rerum. Quis numeret species, nedum individua lapidum, arborum, animalium, stellarum, Angelorum? et tamen omnia a summo Angelo usque ad ultimum vermiculum Deus fecit, et portat: et hoc sine molestia et labore. 2° Deus posset multo plura facere et portare in infinitum; id est, nunquam tot faceret, quin posset plura. 3° Potest omnia facere, quæ potest velle. *Omnia, inquit David* (3), *quæcumque voluit, fecit dominus. Non est impossibile* (4) *apud Deum omne verbum*. Non vult Deus omnia quæ potest: sed potest omnia quæ vult. Si homo posset omnia quæ vellet et intelligeret, certe mirabilis potentia ejus esset; at potentior adhuc esset Angelus, si posset quæ vellet et intelligeret. At sine comparatione potentior est Deus cum possit quæcumque vult et intelligit, cum ejus voluntas et intellectus sint infinita. Possumus ergo ei recte dicere (5): *Quis similis tu in fortibus, Domine?*

Longitudo potentiae Dei cognoscitur ex duratione et inatigabilitate Dei: tanto enim potentia aliqua major est, quanto diutius perseverare potest in operando. Deus autem æterno tempore portare potest totum mundum. Mirantur aliqui, solem tot millibus annorum cucurrisse et non esse fatigatum: sed quid mirum, cum Deus eum portet? Alii mirantur, et vix credere possunt, damnatos in æternum flagellandos: Quo modo enim, inquit, durare poterunt corpora sub æternis flagellis? aut quo modo non fatigabitur manus in æternum flagellans? Quare? Deus est infinite potentia, qui et corpora illa sustentabit ut non deficiant in tormentis, et ipse non fatigabitur in æternum flagellans. Quis igitur similis Tui in fortibus, Domine?

Altitudo potentiae divinæ cognoscitur ex

rerum quas fecit, excellentia, quæ considerari potest: 1° in magnitudine rerum. Discurre per terram, aerem, cœlum, notando minimam stellam notabilem majorem tota terra.

2° In velocitate, ubi nota, solem oriri, vel occumbere spatio duorum miserere, ut ego ipse observavi; et tamen crassities solis continent aliquoties crassitiem terræ, ac per hoc supra tringinta millia milliariorum.

3° In viribus et robore. Discurre per impetum terræ, cum cadit mola, perque impetum aquæ; et pone exempla de navibus, et portu Lovaniensi; per impetum ventorum aliud exemplum ibidem, ubi ventus transtulit terram ex loco uno in alium relicta maxima voragine, et sepelivit oppidum etc. (1). Per impetum ignis incendentis pulverem tormentarium; vel impetum fulminum cœlestium; denique Angelorum nunc occidentium primogenita Ægyptiorum (2) nunc exercitum Sennacheribi (3), nunc projicientium centum millia Saracenorum in Euphratem teste Socrate in historia Tripartita. Quanta igitur est Dei fortitudo, qui omnia ita movet, et hæc omnia faciunt verbum ejus. Hinc dicitur Deus exercituum, quia res omnes illi militant. Quis igitur similis Tui in fortibus, Deus.

Profunditas divinæ potentiae conspicitur in modo faciendi. Nam primo facit ex nihilo. Cæteri enim artifices nihil de novo faciunt, sed conjungunt tantum vel disjungunt res factas; 2° facit sine socio et adjutore; 3° sine instrumento; 4° sine accidenti; 5° perfectissime. *Magna, inquit David* (4), *opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus*. Quis igitur similis Tui in fortibus, Domine?

Ex hac meditatione colligo: 1° timorem pro peccatoribus. Quis enim non timeret vehementissime, cum videret sibi in lato campo occurrere taurum, aut leonem aut etiam bubalum ferocientem, a quo non posset ullo modo evadere, cum videret se vinei robore et velocitate? quanto magis sudaret sudorem sanguineum, qui intelligeret se iratum habere Deum cui nihil resistere potest; 2° Fiduciam pro justis: quid enim timeat

qui habeat amicum omnipotentem; 3° Stupor magnitudinis amoris et bonitatis Dei, qui cum sit tam potens, excelsus, magnus etc., tamen ad nos descendit tam humiliter ut (2) in stabulo nasci voluerit. Miratur David quod Deus meminerit hominis: *Quid est, inquit* (3), *homo quod memor es ejus?* Exemplum de rege cogitante, et loquente de famulo stabuli. Item miratur quod voluerit innotescere homini (4): *Quid est homo quia innotuisti ei?* Exemplum de rege narrante suam progeniem famulo etc. Ita miratur quod visitaverit eum (5): *Quid est filius hominis, quia visitas eum?* Visitavit enim nos Deus per legatos Angelos: item per Epistolias, id est, per Scripturas. At quid, obscuro, diceret, si videret, eum exinanitum (6), formam servi accepisse? Exemplum de rege descendente ad stabulum, et induto vestibus stabularii, ac exercente illius officium, et stabularium ad cubiculum ducente, et ornate regis vestibus, et ad mensam suam constituente, etc. Certe omnipotens est Deus, sed est etiam omnipotens amor ejus, et si licet dicere, omnipotentior, quia prævaluit in omnipotentem.

4° Desiderium paupertatis, et humilitatis, etc. Nam cur, quæso, Dominus in loco publico, et abjectissimo nasci voluit? nimirum, ut ad eum omnes ire possent, et ipse haberet occasionem omnes beatificandi. Idcirco non conclusit se in domo, sed in publico tugurio, ut nemo excluderetur. Voluit quomodo esse semper abjectus, patiens frigus et famis, debilis, simplex, infans denique, nudus, et infirmis, qui in omnibus ad alios dependere. Non enim possunt omnes ascendere ad opes, delicias, honores, imperia, eloquentiam, etc.: possunt tamen omnes, qui volunt, descendere ad paupertatem, obedientiam, humilitatem, patientiam, simplicitatem, etc. Multi putant se esse prope stabulum Christi, qui noverunt paupertatem, obedientiam, contemptum mundi; qui tamen longe sunt a stabulo, quia nihil volunt pati, sed quaerunt suas commoditates, etc.: retinent in charta regulas de desiderio rerum viliorum; et quod erunt contenti victu et

(1) Acciderunt ista (teste poeta Flandro Joanne Stroosnyder) anno 1573, in Lovaniensi oppido, quam Dilia intumescens aquis, ruptisque fluvii pontibus, porte oppidi et nonnullæ domus corruerunt, hominesque aliqui perierunt. In vicis autem proximo qui nomen Vinkenbosch, juxta Paracensem abbatiam, immensa arenae moles aliquas domos obruit. Quorum omnium testis ipse fuit Bellarminus qui tunc temporis in Lovaniensi societatis nostræ collegio Theologiae docendæ sacrice concionibus habendis dabat operam. — (2) Exod. XII. — (3) IV Reg. XIX. — (4) Psalm. C. — (5) Luc. II. — (6) Ps. VIII. — (7) Psalm. CXLIII. — (8) Id. — (9) Philipp. II.

vestitu pauperibus accommodato, sed revera in corde non habent, etc.

CAPUT IV.

De sapientia Dei.

Si imago haberet intellectum, cognosceret totum suum bonum consistere in similitudine cum suo exemplari; et ideo frequentissime collocaret se ante suum exemplar et illud inspiceret curiosissime, seque ipsam niteretur expolire et accommodare, ut illud ad vivum referret. Et si hoc faceret omnis imago, etiam rei deformis, quanto magis imago rei pulcherrimae. Nos omnes sumus imagines Dei; rei nimirum infinitae pulchritudinis; proinde totum nostrum bonum consistit in similitudine Dei; quare deberemus nullam occasionem omittere presentandi nos ante Deum et curiose inspiciendi quidquid in illo est, et nos ipsos poliendi et perficiendi, ut ei quam simillimi redderemur. Ad hoc proderit materia quam coepimus de cognitione Dei. Diximus de essentia et potentia Dei; nunc de ejus sapientia dicendum.

Ea sapientia habet infinitam latitudinem, longitudinem, sublimitatem, et profunditatem. Latitudo consistit in multitudine rerum quas Deus cognoscit. Novit enim Deus omnes species rerum, omnia individua, omnes partes eorum individuorum, omnes virtutes, actiones etc. (1). Scit numerum capillorum nostrorum, quanto magis numerum membrorum? Scit numerum passuum quos faciunt (2): *Tu*, inquit Job, *gressus meos denumerasti*. Quanto magis actiones majoris momenti (3). Scit numerum stellarum, arenae, guttarum pluviae, ut dicitur in principio Ecclesiastici; quanto magis numerum Angelorum, etc. Denique scit Deus infinitas perfectiones suas.

Longitudo divinae sapientiae in eo consistit, quod Deus habet oculum tam acutum tamque perspicacem; ut vident res futuras etiam post longissimum tempus, et ante longissimum tempus. *Intellexisti*, inquit David (4), *cogitationes meas a longe*; et (5) *Tu cognovisti omnia novissima et antiqua*. Cognoscit quid ego sim cogitaturus post mille

millia annorum et ultra, et hoc ab aeterno cognovit; et sic de aliis omnibus rebus.

Altitudo ejusdem divinae sapientiae sita est in excellentia cognitionis Dei quae multiplex est. Prima sumitur ex parte objecti. Nam objectum ejus non solum naturale, sed etiam proportionatum; est ipse Deus trinus et unus: quod nulli alteri intellectui contingit. Est enim visio Dei naturaliter improporcionata omni creaturae. *Nemo* (6) *novit Filium nisi Pater* etc. Et *Lucem habitat inaccessibleem* (7). *Regi saeculorum immortalis et invisibilis*. Secunda Dei cognitio sumitur a specie: nam quo cognitio fit per species pauciores, et universaliores, eo est perfectior et nobilior. Dei cognitio est per unicam speciem, quae est ipsius essentia. Tertia sumitur ab actu, quo enim paucioribus actibus res cognoscuntur, eo cognitio est nobilior. Hominum cognitio est infima, quia per multos actus veniunt in cognitionem rerum, requiritur enim actus sensuum exteriorum et interiorum, discursus intellectus; et hoc in singulis rebus seorsim. Angeli non egent sensibus, nec discursu; tamen non intelligunt omnia uno actu, ad Deum omnia unico ac simplici actu intelligit. Quarta sumitur a potentia. Nam in creaturis potentia est accidens, in Deo est ipsamet divina essentia; et ideo infinitae altitudinis. Quinta sumitur a modo, quia scientia Dei est distincta, comprehensiva, pura.

Profunditas divinae sapientiae, consistit in cognitione actuum liberorum futurorum. Deus enim sicut per infinitam potentiam operatur in nihilo, ex nihilo facit aliquid, et (8) *vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt*: sic per infinitam sapientiam suam scrutatur renes et corda, et ibi videt cogitationes et desideria, quae ibi actu non sunt. Nihil profecto profundius hac re fingi potest. Nam alia futura Deus scire potest vel ex determinatione sua voluntatis, ut diem judicii (9) vel ex determinatione causarum creaturarum, ut futuram pluviam, etc., et hoc non est mirum. At liberi actus futuri non sunt determinati in ulla causa praesertim mali. Ut, verbi gratia, negatio S. Petri, quam (10) Christus futuram praedixit; non potuit videri in se, quia non erat; non in voluntate Dei, quia Deus non vult peccata: non in voluntate Petri, quia nec ipse tunc volebat

(1) Luc. XXI. — (2) Job. XIV. — (3) Psalm. CXLVI. — (4) Psalm. CXXXVIII. — (5) Id. — (6) Matth. XI. — (7) I Tim. VI. — (8) I Cor. — (9) Matth. XXIV. — (10) Joan. XIII.

negare, et postea accedente tentatione poterat resistere, quia non deerat illi gratia sufficiens. Ubi ergo vidit Christus illam negationem? Vidit in corde Petri, ut dicit Augustinus, tetigit ei pulsum, et vidit agrotaturam. Nam ideo (1) dicitur scrutari cor, quia in cordibus videt: *Mirabilis facta est*, inquit David (2), *scientia tua ex me*. Id est mirabilior, quam ut ego eam possim capere. Quare? *Intellexisti cogitationes meas a longe et omnes vias meas praevidisti*.

Ex his duo documenta colligenda sunt: Primum est: sicut Deus semper respicit nos, et unumquemque nostrum in particulari, ac si nihil aliud haberet quod ageret, et numerat gressus nostros, ponderat verba, examinat desideria, considerat cogitationes; ita nos semper debemus respicere ipsum, et figere oculos nostros in oculos ejus, et serio cogitare nos ab illo videri semper et ubique: Hoc enim est officium bonae imaginis, respicere in exemplar, et illi assimilari. Hinc autem oritur summa utilitas, nimirum timor malefaciendi, et desiderium bene agendi. Sicut enim nemo audeat, exterioribus membris peccare coram hominibus, etiam si habeat occasionem, et tentationem, et impune possit: ita nemo audeat opere, vel corde, aut ore in secreto peccare, si certo crederet se videri aut audiri. Hoc monet S. Basilii in libro de virginitate, virginem, ut etiam in secreto cubiculi non nudet se, nec faciat quod non faceret in foro, sciens se videri a Deo et Angelis, et sanctis. Nullus, inquit, ex Angelis et sanctis in caelo beatus est, qui non singula ubique consideret. Deinde milites animantur ad praedium si sciant se videri ab imperatore: ut dicit Josephus de bello Judaico, loquens de militibus Titi: et S. Cyprianus hortatur Martyres ut cogitent se in agone videri a Deo etc. Ita nemo esset negligens, nec de labore quereretur, si semper Deum praese oculis haberet. Quia vero difficile est semper actu id cogitare, saltem oporteret ante initia singulorum operum dicere apud se: Deus me videt; ut cum surgimus a lecto, cum incipimus orationem, cum imus ad sacrum, ad scholas, etc.; hoc enim est quod dicit Propheta: (3) *Providebam Dominum in conspectu meo semper*. Non dicit, videbam semper, quod est impossibile; sed providebam, id est, antequam aggrederer opera, providebam Deum. Uile

quoque esset de hac re facere examen particulare.

Alterum documentum utilissimum est: ut sicut Deus seipsum semper respicit, et se comprehendit solus, et in sui visione habet omnes thesauros divitiarum et deliciarum; ita nos si sumus bonae imaginis, deberemus frequentissime nos ipsos intueri et comprehendere, et in hoc agnoscere summam utilitatem. Quod tamen (proh dolor) raro accidit: nam raro intramus vers ad nos ipsos. Qui autem se comprehendant, vix ulle inveniantur, et in hoc sumus dissimillimi nostro exemplari: nam Deum nemo comprehendit, praeter ipsum; nos autem, omnes alii, praeter nos ipsos. Est aliquid, quem omnes indicant esse ineptum ad aliquod officium, et vere judicant; solus ipse seipsum ignorat

CAPUT V.

De sapientia Dei practica.

Sequitur ut dicamus de sapientia Dei practica. Cujus latitudo conspicitur in creatione rerum; longitudo in conservatione; altitudo in redemptione, et reparatione; profunditas in gubernatione et providentia.

In creatione, quatuor considerari possunt; latitudo, longitudo, altitudo, et profunditas.

Latitudo conspicitur in tanta multitudine rerum diversarum: facile est enim multa facere eadem forma, ut patet in impressione sigilli, etc.; at multas formas invenire, requirit magnum ingenium et sapientiam. Cogita igitur quanta sapientia necessaria fuerit in excogitandis tot differentis et formis essentialibus, per quas multiplicantur species animalium, herbarum, Angelorum. Quanta item sapientia inveniendis tot differentis accidentalibus, quibus inter se differunt tot individua, praesertim humana. Sane stupor est videre multa hominum millia, inter quos non sunt duo omnino similes, nec in figura externa, nec in moribus internis.

Longitudo perspicitur in duratione motuum. Nam sapientia humana multum laborat ut faciat currere unum horologium per 24 horas: et si quis inveniret artem, qua aliquid per se moveretur per unum annum, videretur miraculum: Quanta sapientia

(1) Ps. V. — (2) Ps. CXXXVIII. — (3) Ps. XV.

igitur fuit in Deo qui facit ut pulmones et arteriae in animali semper moveantur, quamdiu animal vivit? Quis credidisset, subtilissimam venam potuisse moveri per centum annos, immo etiam per nongentos, et eo amplius in Adamo (1) Mathusalem, Jared, Lameth, et Noë, quos Scriptura divina commemorat, sine ulla fatigatione? — Quid dicam de motu fluminum indefesso? quid de motu stellarum perpetuo?

Altitudo divinae sapientiae practicae consistit in pulchritudine rerum. Discurre per pulchritudinem et decorem stellarum, florum, animalium, terrae floridae, maris tranquillae, etc. Si quis inspicat florem unum, videtur si ei adderetur aliquid, vel minueretur, nihil valere; et tamen inveniuntur alii majores, alii minores, et omnes sunt pulcherrimi in suo genere.

Idem dici potest de suavitate obsectorum aliorum sensuum, sonorum, odorum, saporum: inest enim omnibus mira suavitas. Et haec omnia ideo sunt pulchra et suavia, quia condita sunt sapientia Dei. Effudit enim illam Deus, inquit Sapiens (2), *Super omnia opera sua*. Quod si haec ita afficiunt, propter condimentum sapientiae; quantum afficeret ipsa sapientia increata, si gustaretur, audiretur, videretur. Nihil sunt ista omnia nisi scoria argenti, et putamina pomorum, quae projiciuntur Deo, et dantur etiam inimicis suis.

Profundum dictae sapientiae conspicitur in virtutibus rerum, praesertim parvarum. Quis crederet in parvo semine tantam arborem contineri? Quis in minimo vermiculo, formica, pulice, aranea esse tot membra vitalia, tot sensus, phantasiam, prudentiam? Omitto virtutes tot herbarum, magnelis, succini, quae incredibilia putarentur, nisi oculis cernerentur. Nec solum res integras ac totas, sed singulae etiam earum partes cum tanta sapientia factae sunt, ut nulla sit tam parva, quae non habeat suam utilitatem: ut patet ex Galeno in lib. De usu partium.

Quamvis autem haec ita sint: tamen Deus uti diximus in alia exhortatione, in se ipso contemplantando, omnes thesauros suos et delicias habet, nec ab ulla re extra se posita pendet. Ita nos si verae imagines Dei esse volumus, debemus nos ipsos assidue considerare, et non decipere nos ipsos, ut plurimum faciunt. Magna est miseria, quod homo

(1) Gen. VI. — (2) Ecl. I. — (3) Gen. XVIII.

decipiat se ipsum; cum tamen ægerrime ferat, si decipiatur ab aliis. Decepit se ipsum homo, quia libenter credit bona de se, et timet profunde scrutari cor suum, ne inveniat quod non cupit. S. Jacobus cap. I. suae Epistolae: *Si quis, inquit, putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, iustus vana est religio*. Religiosus hoc loco dicitur is, qui timet Deum, eamque honorat uti oportet. Qui autem existimat se religiosum esse, quia facit externos actus religionis erga Deum, et non refrænât linguam suam, ipse cor suum seducit. Nam cum peccata linguae sint manifestissima, et quae facillime committuntur; qui non custodit linguam suam, signum est manifestum, quod non cavet ullâ peccata. Quomodo enim studeat cavere ocella, et rara, qui non cavet manifesta et frequentissima? si quis diceret se timere latrones noctu, et tamen relinquere portas vel fenestras apertas sine ullo custode, an non mentiretur, etc.

Hic nota, quod Dominus in sua Quadragesima, quam nos imitatur hoc tempore, non solum jejunavit, sed etiam servavit silentium cum hominibus, perpetuo oravit, et asperam vitam duxit inter bestias, sub dio, in frigore, pluvia, dormiens in terra, etc. Utamur ergo parvis verbis, cibis, et potibus, somno, jocis, etc.

Rursus ad Gal. VI. *Qui se, inquit Apostolus, existimat aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit*. Vere enim quilibet nostrum est infirmus admodum et parvi iudicii, et virtutis etc., proinde qui se aliis anteponit, ignorat se ipsum. Abraham dicebat (2): *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*. Pulvis quolibet levi flatu movetur: cinis aridissimus et sterilissimus est. Itaque agnoscebat Abraham se facile posse moveri a qualibet tentatione, et nihil boni fructus posse producere sine gratia Dei. Idem agnoscebat David, qui dicebat: *Ego sum vermis et non homo; et anima mea sicut terra sine aqua tibi*. Idem in Psalmis semper clamavit ad Deum: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me: Respice in me et miserere mei: sana me, Domine*. Qui autem vere cognoscit se pulverem et cinerem, non ægre fert concutari, latere, etc. Qui autem ægre fert talem se haberi et tractari, ille non se agnoscit, et se ipse seducit. Denique Christus in Apocalypsi cap. III. de tepidis dicit: *Dicis quia*

dices suam et locupletatus, et nullius egēs: et nescis quia tu miser es, et miserabilis, et pauper, et cæcus et nudus. Tepidi minime omnium se agnoscunt, et maxime omnium se ipsos seducunt: nam quia non committunt quaedam magna peccata, adulteria, homicidia, etc., existimant se bene habere, et contenti sunt suo statu, quamvis aliqui pleni sint amore proprio, et toti intenti ad satisfaciendum concupiscentiæ suæ, et vanæ complacentiæ. Hæc autem est summa paupertas et nuditas. Qui enim amant res terrenas, quæ vanæ sunt, evanescent cum illis, et implentur vanitate: unde et ipsi vani et vacui fiunt. S. Augustinus in lib. III. confessionum cap. II. cum audisset matrem suam nihil curantem de sepulcro patrio, quod alias maxime desideraverat, dixit: « Quando ista inanitas plenitudine bonitatis tuæ operat in ejus corde non esse, nesciebam etc. » Nam cum sancta illa mulier mortificasset omnes alios carnales appetitus solus iste remanserat de sepulcro. Sed iste etiam tandem cessavit: et sic vacuitas illa impleta est. Sic igitur quot appetitus habemus rerum terrenarum, tot vacuitates habemus: et si quis collyrio iningeret oculos suos, et vere se ipsum inspiceret, videret animam suam ut vineam pleam spinis et urticis: vel ut domum totam inanem et ruinosa, et non posset se ipsum ita pati. Ideo satageret emere a Deo aurum igitur sancti fervoris, et quia ut dicit idem Augustinus (1): « Quem Deus replet, sublevat eum sicut calor solis sublevat et extenuat vapores; » nasceretur procul dubio ex illa cognitione sui, incredibilis dulcedo ex participatione superiorum donorum: unde homo nihil extra se quaereret: sicut supra diximus, Deum in se ipso habere omnes divitias et delicias, et nihil mendicare ab iis quæ extra ipsum sunt. Qui autem nihil quaereret a creaturis, et ab eis in nullo penderet totus jam Deo plenus, incredibilem libertatem et pacem et quietem inveniret. Contra autem si quem Deus non replet, oneri sibi ipsi. « Quia, inquit Augustinus, tui plenus non sum, oneri mihi sum (2) »: et Propheta Job (3): *Factus sum mihi inquit ipsi gravis: David etiam: Filius hominum usquequo gravi corde! ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium (4)!*

Jam si quis cupiat hæc intelligere, oportet ad praxim venire, et in particulari scrutari cor suum circa virtutes sibi necessarias. Iutra serio in te ipsum, et quære an ibi sit verus amor paupertatis quam proferis. Nam si multa, si curiosa, si pretiosa cupis, non est in te amor paupertatis. Quod si non vere amas paupertatem, non es vere religiosus, non sequeris Christi consilium, etiamsi velis dici et videri, et tibi ipsi talis videaris. Itaque seducis te ipsum, et in articulo mortis id videbis.

Quære similiter, an sit in te amor castitatis et perfectæ puritatis. Nam si delectaris cibo et potu, si non continēs oculos, si paucis oculis cogitationibus impudicis, si non arripis media aspera contra lascivientem carnem, quis credet te vere amare castitatem?

Quære idem de obedientia, an vere non placeat tibi non facere propriam voluntatem; quam expe viceris te ipsum in hæc parte etc. Quære de patientia quæ est virtus summo opere necessaria, etc.

CAPUT VII.

Item de sapientia Dei practica.

Dicendum est in presentia de longitudine sapientiae divinae practicae: quæ, ut diximus, ostenditur in conservatione rerum maxime corruptibilium. Magna enim sapientia necessaria fuit ad hoc ut mundus hic inferior tot millibus annorum duraret, cum res in eo contentæ se invicem destruant: ut patet in elementis contrariis, et in animalibus quæ destrunt herbas, et se invicem.

Quatuor puncta consideranda sunt: primo multitudo rerum quæ Deus pascit, et pascendo conservat: quæ est latitudo hujus sapientiae conservantis res omnes. Pascit enim Deus omnia animalia per herbas totius mundi, et tam abundanter, ut semper abundet copia ciborum, ut possit seminari in alium annum: quomodo Christus fecit (5) in miraculo panum et piscium hæc hebdomada. Unde recte Augustinus dicit semper Deum facere hoc miraculum, quamvis non advertatur.

Sed si ita este, unde fit ut multi vix inve-

(1) Confess. lib. X. cap. 2. 8. — (2) Lib. X. confess. cap. 2. — (3) Job, VII. — (4) Psalm. IV. — (5) Joan. XII.

niant quod comedant, et moriantur fame etiam multi? Quid obscurat hoc perpetuum Dei miraculum? peccata hominum. Sicut enim Prælati aliquando cogunt famulos jejunare ob ipsorum errores, non quod desit Prælati unde eos alant, ita etc.

Sed præcipue sunt tria peccata ejus mali causa. Primo avaritia divitum, qui acceperunt multa bona, ut dispensent in alios, quæ tamen non nisi pro se retinent. Exemplum economi, qui sibi retinet quod deberet in usum familiæ insumere. Exemplum venarum majorum, quæ sanguinem accipiunt pro se, et aliis. Secundum, prodigalitas divitum, qui dant quibus non debent, profundentes ea bona in canes, aves, equos, mimos etc. Ideo Christus jussit colligi fragmenta, ne perirent. Tertium, superbia pauperum, qui volunt vivere more divitum, non contenti suo statu: ideo quod tarde lucrantur, cito consuntur. Quamobrem cum potuisset Christus optimum prandium parare, tamen sobrius et tenue paravit: jussit enim non instrui mensas, sed sedere omnes super fenam. Deinde non apposuit multa prima ferula et missa (vulgo antepastos), sed apposuit solum panem hordeaceum, et fragmentum piscis. Vinum non dedit, quia sufficiebat illis aqua de fontibus vicinis.

Hinc discamus Patres et fratres mei, contenti esse paucis: et sicut decet, ut superiores, et officiales sint solliciti curare, ne quid desit, et omnia bene parentur: ita decet cæteros non esse sollicitos; sed contentos eo quod datur, et gaudere, cum occasione habent experiendi paupertatem et simplicitatem vivendi, quam Dominus noster verbo et exemplo nos docuit. Recordemur verbi Apostolici (1) *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Spiritus Christi est spiritus paupertatis, non verbo tantum, sed etiam opere.

Secundo consideremus modum, quo Deus conservat res omnes: in quo cognoscitur altitudo sapientiæ Dei. Nam vult Deus ut omnia cum labore acquirant cibum: ut patet avibus, feris, hominibus. Nimirum ut exercent vires, et ingenium, et non languescant otio. Voluit etiam esse pauperes et divites, ut esset occasio exercendi virtutes, misericordiam in divitibus, patientiam in pauperibus et præcipue unionem et charitatem fraternam. Nam ex hac inæqualitate fit ut

divites egeant pauperibus, qui colant agros, vineas, qui faciant vestes, domos, cibos et similia: et item pauperes egeant divitibus, qui dent eis pecunias, semina pannos, boves, etc. Nos autem non videmur divites, nec pauperes, quia non habemus quod demus; nec tamen egemus: sed vere servimus nobis divites et pauperes: et ideo tenemur servire utrisque. Non enim dantur religiosis tot commoda ut olentur. Magnum vitium est, et satis frequens, cum aliqui cogitant se non debere laborare pro acquirendo victu, quia abunde suppedit, et non sperare lucrum, vel dignitatem ex suo labore: et ideo negligentes fiunt, et laborant quanto minus possunt. Ita ut vincantur a secularibus in studio laborandi, sive sit labor corporalis, sive spiritualis. Debemus ergo diligenter servire proximis: concionatores concionando; confessores, audiendo confessiones, lectores docendo; cæteri parando se, ac diligenter studendo, vel serviendo operariis et studentibus; et simul etiam docendo bono exemplo, quo sæpe plures convertuntur, et juvantur, quam verbis. Unde B. Franciscus applicat illa verba (2): *Sterilis peperit plurimos*; simplicibus fratribus, qui oratione, et bono exemplo plures convertunt, quam concionatores concionando.

Tertio consideremus profunditatem hujus sapientiæ divinæ practicæ in modo mirabili et stupendo, quo Deus nutrit, et auget corpora per cibum. Nam Deus invenit modum, quo cibus intret, et penetret ad omnes partes, carnes, ossa, nervos, etc., et tanta suavitate, ut incredibile sit. Videtur enim Deus agere instar medici doctissimi et humanissimi. Nam cibus est medicina, sine qua animalia necessario perirent, Deus autem huius medicinæ primo indidit saporem, ut libenter acciperetur. Secundo, variavit infinitis modis ad tollendum fastidium. Tertio reducit eum per varias permutationes in stomacho, in hepate, in corde in succum subtilissimum, qui penetrat per omnes venas et venulas, et poros totius corporis, ut sine dolore, et sine sensu penetret omnia. *Considerate*, inquit Dominus (3), *lilia agri, quomodo crescunt*. Hinc colligere licet quam sapiens, quam bonus sit Dominus, qui tanta dexteritate nos tractat, ut non lædat, quanta non tractaret mater infantulum suum. Ex quo accendimur ad amorem tanti Domini et

(1) Rom. VIII. — (2) I Reg. II. — (3) Matth. VI.

CAPUT VII.

De altitudine scientiæ Dei practicæ.

simul ad imitationem, ut nos etiam simus valde solliciti ne ullum lædamus verbo, aut facto: hinc enim agnoscitur spiritus Dei secundum quem vivere debemus, ut simus veri filii, et imagines ejus.

Quarto consideremus longitudinem hujus sapientiæ in eo quod inservit in omnibus creaturis incredibile desiderium quoddam conservationis sui, et perpetuationis. Videmus in inanimatis, quod supra vires pugnant, et naturam suam immutant, ut se conservent, ut videre est in gutta aquæ quæ pendet ex aliquo ligao, vel lapide, et se in orbem reducit, et pendet quantum potest, ne diffluat et pereat. Videmus in lucernis, quando debet extingui, quomodo bis terve totis viribus excitat se in magnam lucem, etc. Idem videmus, cum res leves descendunt, et graves ascendunt contra naturam suam, ne deat vacuum, id est, ne separentur ab aliis, et sic pereant. Idem cernere est in animalibus, quæ pro vita pugnant etiam contra robustiora. Videmus etiam homines, si forte in judicio periclitentur de vita, ut mortem differant, omnia expendere et nihil non movere. Pro conservatione autem speciei et quadam umbra eternitatis indidit Deus in omnibus animalibus subtilissimum quendam amorem erga prolem, ut pro illa nihili faciant omnes labores et pericula, ut patet in gallina quæ infirmatur pro pullis, et pugnat cum milvo, cum vulpe: et in mulieribus, quæ intolerabiles perferunt labores pro suis infantibus.

Jam igitur si pro vita brevissima et pro umbra eternitatis laborant res omnes plus quam necesse sit: Quid faciendum esset pro adoptione vere æternæ et beatissimæ vitæ, et pro fugienda vere æterna et infelicitissima damnatione? Hæc est plane cæcitas incredibilis nostra quod non solum non facimus plus quam possumus, sed neque quantum possumus: et tamen necesse est vim facere (1) et contendere intrare per angustam portam si quis salvari velit. Evangelium enim clare loquitur; et videmus exempla sanctorum, qui supra vires laborarunt ut salvi fierent. Certe sicut est magnum signum electionis ardens desiderium vite æternæ, unde nascitur ut quis omnia contemnat pro illa: ita et contrario signum est reprobationis, cum quis non multum sollicitus est de illa acquirenda.

(1) Matt. VII. — (2) Aug. lib. IX. confess. 6. — (3) Philip. II.

Altitudo scientiæ Dei practicæ perspicitur in opere redemptionis. « Non satiabar, inquit Augustinus (2) dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani ». Apostolus quoque ad Ephes. III. dicit, per Ecclesiam innotuisse Angelis multiformam sapientiam Dei: quia nimirum Angelis tam altum mysterium non agnovissent nisi in ipso effectu.

Quatuor puncta considerabimus more solito. Nam in hac sapientia altissima considerari potest latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum.

Latitudo consistit in eo, quod sapientia Dei invenit modum resarciendi omnia damna, quæ fecit astutia Diaboli decipiendi Adamum, et ita resarciendi, ut pulchrius sit opus perfectum quam si esset novum et integrum: ut videatur quodammodo optandum fuisse ut fieret illud damnum. Exemplum de sartore, qui vestem casu laceratam reficit tanto artificio, ut sit pulchrior, etc. Astutia Diaboli uno ietu fecit quicquid mala: 1° Abstulit Dei honorem et obedientiam. 2° Abstulit homini beatitudinem. 3° Contristavit Angelos, et quasi erubescere fecit; sicut nos tristamur et erubescimus, quando aliquis qui fuit ex nostris aliquid turpe facit cum scandalo aliorum. 4° Exaltavit et laetificavit Diabolum, et angelos ejus: nam paulatim cepit adorari in idolis a toto fere mundo. Denique tota terra infecta est, et omnes creature in servitute redactæ sunt. *Omnis enim creatura*, ut dicit Apostolus, *vanitati subjecta est non volens*, etc.

Itaque fuit malum latissimum et universale, quod fecit astutia Diaboli, cum Adam in peccatum induxit.

Restauravit hæc universa mala sapientia Dei per mysterium Passionis Christi. Nam Deo redditus est honor et obedientia multo major quam fuisset si Adam non peccasset. Nam Adam obdixisset in uno mandato, eoque facilimo: at Christus cum esset persona longe nobilior Adamo, obdixit Deo Patri ab instanti suæ conceptionis usque ad mortem in omni opere (3) suo, et in re difficillima, id est, in morte Crucis, obedientia pura et perfecta. Unde sæpe dicebat Chri-

stus (1) *Ego te clarificavi super terram : opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.*

Hinc obiter nota, Diabolo summopere displicere obedientiam, Deo super omnia holocausta (2) illam esse gratam et acceptam.

Nec solum Christus obedivit, sed etiam fecit per gratiam suam ut innumeri homines etiam in sexu et aetate debilissima obedirent Deo usque ad mortem, quae fuit maxima gloria Dei, ut multo major quam potuisset habere Adamo non peccante.

Homo autem non solum recuperavit beatitudinem quam habuisset Adamo non peccante, sed incredibiliter majorem; nam tunc ad summum, fuisset aequalis Angelis: at nunc in Christo factus est etiam dominus Angelorum. Hinc illae voces: *O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem, et: O vere necessarium Adae peccatum!*

Angeli laetiam recuperarunt, etiam majorem quam habuisset Adamo non peccante. Nam si contristati sunt, quia unus qui fuerat frater eorum, tantum malum fecisset; magis postea gavisi sunt, quod damnus sit tam gloriose reparatum per fratrem minorem, id est, hominem, qui quantum ad naturam, est quasi frater noster, et puer respectu Angelorum.

Hic etiam obiter nota, quod Angeli sancti, si habent passionem, et amorem proprium, invidissent potius homini tantam gloriam. Sed quia pleni sunt veritate et caritate, gaudent et exultant de bonis nostris, etc.

Porro Daemones ablatum est omne gaudium: nam exturbata sunt per Christum omnia idola, et ipsi Daemones conculcari coeperunt in virtute Christi etiam a pueris, et ad solum Crucis signum cum magno ipsorum pudore et dedecore fugere coguntur: nec fuissent ita conculcati, si Adam non peccasset: non fuisset turpe Diabolo vinci ab Adamo; at turpissimum est vinci ab homine ut nunc est. Victus est Adam in paradiso (3); sed vicit eum Job in sterquilino (4), ait Augustinus. Denique tota terra, et aqua, et aer purgabitur brevi; cum Daemones omnes recludentur in carcere inferni, et elementa non servient amplius usibus impiorum; et gloriam acquirant in mundi renovatione, etc.

Longitudo divinae sapientiae practicae in

(1) Joan. XVII. — (2) I Reg. XV. — (3) Gen. III. — (4) Job. II. — (5) Joan. X.

eo consistit, quod ea non voluit statim atque Adam peccavit, reparare mundum collapsum et perditum, sed expectavit longum tempus. Nam per duo millia annorum promissit per figuras Patriarcharum: deinde per alia fere duo millia annorum praedixit per Prophetas. Id enim requirebat magnitudo mysterii ut longo tempore expectaretur et desideraretur. Et tamen ne tot homines interim perirent, excogitavit modum sapientiae Dei, quo haec medicina nondum existens operaretur, et per fidem et desiderium cum caeremonia aliqua externa protestante eam fidem, homines curarentur.

Altitudo ejus sapientiae consistit in eo, quod Deus modum advenit, quo redigetur ad extremam miseriam: quae est res superans omnem intellectum. Nam ut summum bonum desinat esse summum bonum, omnino est impossibile, cum Deus habeat esse penitus necessarium et immutabile. Ut autem summum bonum manens summum bonum paliatur inopiam, dolorem, mortem, videtur etiam impossibile. Longe enim difficilior est ut summum bonum, in quo sunt omnia bona abundet aliqua re, quam ut nihilum abundet omnibus rebus. Non est autem mirum, si Deus creat caelum, resuscitet mortuos, sistat solem et lunam, (5) quia est omnipotens; nec est mirum, si sciat futura, quia est omniscius, etc. Ad quod patiat, mirum est, etc. Et tamen sapientiae Dei invenit modum quo Deus Verbum nans summum bonum, ditissimum, beatissimum, etc., tamen pateretur famem, sitim, fatigationem, verbera, vulnera, mortem, etc. Hoc est mysterium incarnationis, per quod tanto artificio unitum est Verbum carni, ut vere una persona sit Deus et homo, etc.

Profundum divinae hujus sapientiae in eo positum est quod ea modum advenit, quo medicina necessaria ad curandos morbos nostros et alloqui amarissima, fieret dulcissima, et ab hominibus quaereretur, ardentem expeteretur, et avidè caperetur. Morbus noster communis, est concupiscentia honorum, commodorum, et deliciarum: haec enim suffocat spiritum, impedit gustum caelestium etc. Medicina necessaria et ex se amara est contemptus mundi, mortificatio sui ipsius vera et perfecta. Etenim dispositio ut quis gustet, quarat caelestia, non consistit in preparatione punctorum meditationis, vel

in clausura fenestrarum etc., sed in perfecta abrenuntiatione omnium rerum sensibilibus quam profitemur in religione. Hanc amarum medicinam Christus dulcissimam reddidit exemplo suo: qui, cum esset sapientissimus, et posset eligere statum vite quem vellet, elegit tamen summam inopiam, nuditatem, laborem, dolorem, contumeliam, mortem acerbissimam; in omnibus rebus mortificationem quasivit. Concipitur in Nazareth (1) quae vilis erat quia habitatio gentilium: unde Nathanael: *A Nazareth, inquit, (2) potest aliquid boni esse? Nascitur in stabulo, circumciditur et baptizatur, cum peccatoribus (3) moritur inter latrones in urbe celeberrima, etc. (4).* Hinc sancti cucurrerunt ad martyria libentissime, ad religiones, ad eremos etc. Meminisse debemus Christum (5) esse viam, veritatem et vitam; id est, mediatorem, doctorem, et remuneratorem. Sed ideo positam esse veritatem inter viam et vitam, quia non possumus conjungere viam cum vita, id est, media cum fine, gratiam cum gloria, nisi audiamus veritatem, eamque sequamur. Porro veritatem praedicavit Christus efficacissimo exemplo vita suae, et praesertim in die passionis. Hoc speculum, Fratres mei, intueri debemus: haec est imago visibilis, cui similes fieri debemus.

CAPUT VIII.

De providentia.

Profunditas sapientiae divinae practicae est providentia. Sunt enim judicia Dei abyssus multa (6). Sed in hac profunditate possumus considerare latitudinem, longitudinem, subtilitatem et profunditatem.

Latitudo consistit in eo, quod providentia Dei extendit se ad omnia loca, immo ad omnes res creatas. Aequaliter enim illi *De omnibus*, ut ait Sapiens. Ubi (aequaliter) significat: nulla, quantumvis minima, re excepta.

Est autem Dei providentia particularis, summa circa singula; ita ut non cadat passerculus super terram sine Patre nostro (7). Ubi notandum, quod providentia quaedam universalis potest esse circa multa etiam apud homines; at quo est particularior, eo

reducitur ad pauciora; ut patet in Ecclesia, ubi est unus Papa, qui habet providentiam universalem: Patriarcha qui habent curam magis particularem: sunt multi praefati, et singuli eorum habent particulares subditos pauciores. Parochi adhuc multo plures, et habent paucissimos subditos; aliqui soli non possunt eos curare; et tamen non habent providentiam nisi in spiritualibus; denique una nutrix quae habet totalem et particularem curam infantis, non sufficit nisi uni. Cogita igitur quanta sit sapientia Dei, qui curam habet rerum omnium, ita ut non vollet in tuto mundo una musca nisi Deo gubernante.

Longitudo providentiae divinae consistit in eo, quod sicut se ad omnia loca, ita etiam ad omnia tempora. Attingit enim a fine usque ad finem fortiter, ordinans (8) cursum rerum, ut sine interruptione aliae aliis succedant usque ad finem mundi. Exemplum de longissima processione etc.

Ex his colligitur quod multa videntur nobis non recte fieri in mundo, quae tamen ut a Deo ordinantur, recte se habent: sed nobis non ita videntur, quia non videmus totum ordinem divinae providentiae. Augustinus duo ponit exempla, unum de carne quod requirit ut syllaba transeant cum sonerint, et aliae sint longae, aliae breves. Si quis nollet syllabam transire, impediret carmen, vel nollet post longam sequi brevem etc. Ita nobis accidit, qui nollemus homines aliquos mori, aut regna mutari, et miramur, quod aliqui cito, aliqui tarde moriantur etc. Aliud exemplum ponit idem Augustinus in libro de ordine cap. I de pavimento vermiculato, in quo aliquis non posset videre nisi unum palmum etc. Officium fidelis et praedicationis Christiani est, non scandalizari de rebus, quae accidunt, etiam si videat impios prosperari, rios affligi, etc.; nam certo credere debet Deum nihil facere, vel permittere sine maxima ratione.

Altitudo providentiae consistit in eo, quod est perfectissima, et excellentissima. Nam conjungit Deus in sua providentia quatuor, quae inter se vix conjungi queant, nempe vigilantiam cum tranquillitate, et fortitudinem cum suavitate. Inter homines qui praesunt cum vigilantia, solent esse valde anxii et turbati. Unde Apostolus, qui praerant cum

(1) Luc. I. — (2) Joan. I. — (3) Luc. II. — (4) Ibid. infra 4. — (5) Joan. XIV. — (6) Psalm. XXXV. — (7) Matth. X. — (8) Sap. VIII.